

Privilegium Sbitulthi episcopi Wladislaviensis
super molendino ventoso in Barkanie villa epi-
scopali construendo.

Noventis quibus expedit universi, quod nos Sbit-
luthus divina et apostolica sedis providentia Wla-
dislaviensis ecclesie episcopus, cupientes melioratio-
ni bonorum nostrorum, ecclesieque nostre predictae
prospicere, molendinum ventosum viro provido Swan-
thoslae, de cuius magisterio satis subtili nos eor-
dens experientia satis docuit, in Barkanie villa
nostra episcopali dedimus edificandum, quibusdam
pro sustentatione ipsius, et suorum successorum le-
gitimorum resignatis, videlicet tertia metreta seu
mensura in eodem molendino, medio iugere de ter-
ra pro horto ea opposito dicti molendini iacente,
quod vulgariter dicitur pul morga, iungentes de a-
gris nostris in dicta villa pro quatuor mensuris, et
de prato etiam nostro pro duobus curribus. Prefatus
vero Swanthoslaus, et sui posteri legitimi debebunt
etiam unum denarium, et nos duos ponere, pro pri-
morum ferramentorum duntaxat et molarium repa-
ratione, sed non magnorum. Item non debet di-
ctum molendinum in parte vel in toto obligare
seu vendere, nisi illi, quem nos duxerimus admitten-
dum. Insuper iura omnia ad dictum molendinum
pertinentia, ac ipsum molendinum, predicto Swan-
thoslae et suis successoribus legitimis presentibus
damus et assignamus, per ipsum Swanthoslaum et
suos posteros, tenendum in perpetuum et pacifice
possid.

possidendum, ita, secundum quod aliorum molendi-
norum ventosorum in terra Cuiaviensi situatorum
requirit consuetudo. In cuius rei testimonium si-
gillum nostrum maius presentibus est appensum.
Datum in Parchanie tertia die decollationis san-
cti Joannis Baptista, anno Domini millesimo
trecentesimo septuagesimo secundo. Presentibus
honorabilibus viris Dominis, Mathia magistro, Ni-
colao Chrobeza canonicis Wladislaviensibus. Hen-
rico et Joanne de Suogna canonicis Cruswiciensibus
testibus ad premissa, cum ceteris pluribus
fide dignis.